

SUÉTONE

Le divin Claude

[XLI] Historiam in adulescentia hortante T. Livio, Sulpicio uero Flauo etiam adiuuante, scribere adgressus est. Et cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit refrigeratus sæpe a semet ipso. Nam cum initio recitationis defractis compluribus subsellis obesitate cuiusdam risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur cachinnosque reuocaret. In principatu quoque et scripsit plurimum et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris dictatoris, sed et transiit ad inferiora tempora cœpitque a pace ciuili, cum sentiret neque libere neque uere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe et a matre et ab auia. Prioris materiæ duo uolumina, posterioris unum et quadraginta reliquit. Composuit et "de uita sua" octo uolumina, magis inepte quam ineleganter; item "Ciceronis defensionem aduersus Asini Galli libros" satis eruditam. Nouas etiam commentus est litteras tres ac numero ueterum quasi maxime necessarias addidit ; de quarum ratione cum priuatus adhuc uolumen edidisset, mox princeps non difficulter optinuit ut in usu quoque promiscuo essent. Extat talis scriptura in plerisque libris ac diurnis titulisque operum.